



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

§. IV. Imagines Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

SPECU-
LUM SPI-
RITUA-
LE.

desideria nostra, & cogitationes quibus eos alloquimur & honoramus, cognoscunt, ac magna fidelitate succurrunt cunctis sese devotè invocantibus. Cùm intimi amici & charissimi filii DEI sint, jamque cum eo gloriosè regnent, mirum in modum Deo placeat, ut ab omnibus Christianis in magna veneratione habeantur.

§. IV. IMAGINES SANCTORUM.

Adver-
sus Icono-
clastas
pro ima-
ginibus
disputa-
tio.Deut. 5.
Levit.
26.

Venerare ergo eos (sicut dictum) & illorum imaginibus honorem sanctè exhibeto. Nimis disipiunt hæretici ævi nostri, qui imagines Sanctorum reiiciunt, propterea quòd DEUS in Scriptura sua dicat : *Non habebis deos alienos eorum me.* & : *Non facies sculptile ut adores illud.* Vel nolunt vel nesciunt hæretici distinguere inter simulacra deorum, & imagines Sanctorum. Sanè Christiani, Catholicæ Ecclesiæ filii, non adorant more Ethnicorum sculptilia tanquam deos (quod utique DEUS fieri prohibet) sed Sanctos in imaginibus suis piè venerantur. Id enim Ecclesia sponsa Christi, quam Spiritus sanctus edocet atque gubernat, hætenus fideliter observat, quod etiam ex traditione Apostolorum accepit.

Contra ariditatem & desolationem
antidotus.

1. Tempus semper impendendum divinis laudibus.
2. Etiam si ariditas affligat : vera enim devotio in sui abnegatione, & amore divini beneplaciti consistit, non in dulcedine sensibili : qua, si priora duo non adsunt, semper esse debet suspecta.
3. Quamvis etiam eam abundanter & utiliter præbeat Deus Tironibus spiritualibus, ut ad fortiora animentur.
4. Assumenda igitur est indifferentia animi ad ariditatem desolationis, aut pinguedinem consolationis, pro Dei beneplacito, quantum & quamdiu ipse voluerit amplectendam.
5. Non enim in consolatione, sed in ipso Dei beneplacito consistere debet anima : omnem recurvam naturam propriam quæstionem strenuè corrigere.

OMNE tempus traducito ad laudem & gloriam DEI. Dum es incolumis, semper boni quidpiam exerce : dum verò ægrotas, serva mansuetudinem ac patientiam. Nec putes ea quæ piè facis, Deo grata tibi que utilia tunc minimè esse, quando palato cordis tui parùm sapiunt, & quando in illis te sentis minùs alacrem, aut etiam gelu interno contristum, tenebrisque circumfusum.

Vera enim devotio in vera sui ipsius submissione, resignatione, abnegatione ac nihilipensione sita est, potiùs quàm in sensibili sapore & dulcedine. Certè multis ad salutem utilius est ariditatem amaritudinemque cordis sentire, quàm affectuosa desideria & suavitate. Ille DEO valde placet, qui fide, & amore divino plenus, in ipsa sterilitate paupertateque sua interna humiliter dicere novit : *Domine, licet ego immundus sim, & omni con-*
sola-